

53. Apparebit autem Filius hominis in nubibus Cæli, in potentia & gloria magna, eâ nimirum, quæ soli Filio hominis à Patre est concessa, quam super throno gloriæ divinæ considens ille usurpaturus est. Matth. 24, 30. 25, 31.

54. Accedet insuper κέλευσμα illud & vox Archangeli, & tuba DEI de supernis: Angelorum item omnium myriades cum tubâ & voce magnâ Matth. 24. 30. 25, 31. 1. Thess. 4, 16. 1. Cor. 15, 52.

55. Reditum hunc CHRISTI Scripturæ respectu conditionis naturæ humanæ, Adventum: respectu verò accessionis gloriæ quæ eidem humanitati Christi ex unione personali obtigit, ἀποκάλυψιν ἢ ἐπιφάνειαν revelationem & apparitionem nominare solet. 1. Cor. 1, 7. 2. Thess. 1, 7. 1. Pet: 11. 3. Tit. 2, 13. 2. Thess. 2. 8. 1. Tim, 6, 14. 2. Tim. 4, 1. & 8.

### III. RESURRECTIO MORTUORUM.

56. Tertium Mundi novissimum, est Resurrectio mortuorum, quæ uti cum omni ratione humana pugnat, ita rectè miraculorum omnium divinorum miraculū à veteribus appellata fuit.

57. Miraculum enim summum futurum est, quod terra & mare corpora defunctorum, non aliquo-